

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

non enim tibi ignota est subscriptionis formula: *Hanc Confessionem at piam iudicio, ita eam subscribo.* De Confessione & Apologia quod mones, tum curabimus, cum omnium subscriptiones habuerimus, nec de fide nostra dubitetis. Quod si ergo tibi & tuis collegis ad hunc modum probatum fuerit exemplum, tu alia quoque per literas corrigas exempla, ad tuos vicinos missa, idque nulla interposita mora, ne forte & alii hujus instinctu similes excusationes prætexant. Ad Sulcerum quoque meas literas una cum exemplo correcto transmittes Basileam, & eundem rogabis, ut & ipse cum Collegis subscribat & subscriptionem apud Ministros Ecclesiæ in proximis Ecclesiis ad ditionem Rötensensem spectantibus expediat. Est hæc quidem molestia aliqua, sed filio DEI gratus & Ecclesiæ salutaris labor, quem Dominus compensabit & ego promereri studebo. Bene & feliciter Vale. Et exemplum subscriptum remittas per hunc ipsum nuncium, quod facile fieri poterit. Utinam & manu Illyrici signatum, quem nullam justam causam amplius habiturum confido. Sed cave quæso longam subscriptionem, quæ vel seipsam scilicet, vel alios tacite accuset, vel totam nostram actionem suspectam reddat. Iterum vale & meo & Collegarum meorum nomine Collegas omnes tuos salutabis. Et meo nomine etiam rogabis Illyricum, ut bonorum virorum consilia sequatur, ne magis pro honore sui nominis, quam veritate sollicitus esse videatur, idque si nullius, saltem meo exemplo faciat, qui meum nomen non modo negligo, sed etiam conculcari patior, modo pia pax sine jactura veritatis Ecclesiæ redimatur, paratus & vitam impendere, si ita Domino videbitur. Iterum & tertio vale. Raptim Tubingæ, 9. Martii, 1571.

*Tuus ex animo frater*

Jacobus Andreæ.

XXXVI.

**S** rariores à me accepisti ad tempus, Vir Reverende & Charissime frater, non tabellariorum quidem penuria, qui complures oblatis sunt, quam quod proximus apud nos exortus me admodum districtum tenuit, & perturbavit. Tantò enim plus molestiæ ferunt ejus generis certamina, quo magis ingravescit ætas. Et accidit mihi, quod mulieribus, quæ sæpè matres fuere: ut tantò minus se ad partum idoneas esse fateantur, quo peperere frequentius. Scio tamen, ut maxime odiosi sint scandaloque pleni Ecclesiastici conflictus, non tamen raro esse necessarios. Hæc verò causa certè fuit, ut cum cogitationes studia & occupationes direxissem in ejus, quem

quem dixi; controversiæ statum, fuerim minus cum erga te, quem merito facio maximi, tum alios amicos officiosus. Tentata sunt certe ab Antagonistis extrema omnia, & ut accepisti tu quoque, intervenere Tigurinorum Legati politici, senatorii ordinis primi, non quidem ut inter partes arbitros sese offerrent, sed ut scriptionem à nostris, quæ pridem postulata fuerat, suæ confessioni impetrarent: aut si id nostri detrectarent concedere, saltem nostram anno 34. æditam, (cuius auctorem Bucerum evidentibus argumentis conjicio) suæ adjungi, & in præfatione ejus fieri mentionem ab ipsis nostri permitterent. Excepti hi sunt à nostris & dimissi perhumaniter, sed sine responso, quod nuper adeo ad ipsos perscriptum est, quo significatum, neque nostros subscripturos ipsorum confessioni, neque velle, ut nostra ipsorum formulæ quovis modo adjungatur. Per cætera conjunctionem & quæ ad fœdus pertinent, illibata servaturos. Contuleram & ego ipse coram cum legatis, idque ut æquum erat, placidè. Magna ergo de spe deciderunt Antagonistæ, cum intelligerent, quod unicuique superesse videbatur refugium & patrocinium, ipsis parum firmum esse. Nunc ergo ad pacem res spectat, quod etiam concordia formula, pridem à D. Bucero composita, æquè à nostro senatu approbata, & ad observandum ministris injuncta sit, atque ipsa confessio. Ex qua non nobis tantum sed posteris etiam ad professionem & conservationem veræ doctrinæ, firmamentum futurum sit. Quæque hæctenus docuimus ex Domini verbo, minori cum applausu oppugnare possint. Rogamus autem Dominum, ut his non infaustis initiis Dominus uberiora incrementa dare indies dignetur. Pro scripto, quo historia authoris Jacobi Andrea, magnam gratiam habeo, cognovi ex eo, prorsus spem meam auguriumque non fuisse vanam, etsi multorum cum metu sollicitudinem non ignorarem. Dedit ergo Dominus successum non vulgarem pietissimo electo ad hoc opus organo, quem video, ut publicæ pacis concordiaque ita cum primis veritatis rationem habuisse. Nec dubium est, quin cordati omnes formulam Servesti constitutam sint approbaturi. Nos certè hic eam doctrinæ rationem observamus. De subscriptione tamen polliceri ideirco nihil possumus, quod cum citra consensum nostri Magistratus à nobis fieri non queat, periculum est, ne velint concedere, ut cum nuper Tigurinis postulantibus negata sit, ne etiam recuset aliis ad evitandam confœderatorum offensionem. Interea verò nostrum consensum apertè, publicè privatimque declarare pergitur. Optandum est autem, ut Heshusii zelus in tempestivus spiritu mansuetudinis temperetur, & magis accommodentur, quæ habet vir ille, illustria dona ad Ecclesiæ ædificationem, sed & ut alii cum justa fidei constantia, charitatem Christi servis dignam declarent, quo minus exhibeamus jucunda hostibus, infestissimis Papistis, phanaticisque odiosissimis hominibus spectacula. Quod minutionem sanguinis, quàm scribis non infœliciter cessisse, attinet; censeo ad diem 12. Aprilis incidendam venam esse, idque sub utroque genu, quantitas vero sanguinis mediocris, si modò fluant venæ rectè tactæ, mediocri emitti solet, ut nec nimia emittatur copia, nec præpro-

7 Mai 1570  
in Zerbst  
in...

perè tamen sistatur effluxus. Narraverat autem nuper Polonus, per quem literas ad te dederamus, in Polonia à Podagricis magno cum successu usurpari Therebintinas pillulas, manè & vesperi, ex therebinto lota cum aqua rosarum saccaro mixtis confectas, ut ad nucis avellanæ magnitudinem una vesperi, altera manè sumatur, idque in dies singulos, quod quidem mitissimum remedium fuerit, renibus etiam valde congruens, citra læsionem ventriculi. Sed hoc hæcenus meæ conjugii persuadere nequivi, quod nimio soleat esse ad medicamentorum usum quorumcunque difficilis. De filiis tuis idem scribo, quod semper, faciunt non impigrè officium, versantur in utraque philosophia, meo iudicio non sine profectu, ut sperem, patriæ operam præstituros frugiferam. De Cypro occupata horrenda narrantur, & jam bella etiam contra Ungariam à Turca parari nunciant complurimi. Sed hæc sunt flagella D. peccatis nostris debita, quæ seriæ pœnitentiæ studio nos avertere conveniat. Sed bene vale, vir Reverende & charissime frater. Scripsi Basileæ, 12. Martii. Anno 1571.

M. Philippus, ad Synodum Hochbergicam proficiscenti mihi cupiuit adiungi, quod etsi ægrè permisi, quod sumptum malim vitare, non potui tamen negare petenti, quando non ultra quadriduum emanurus sum.

M. Erasmo in Cicularibus dabimus locum sacra profitendi.

T. d.

*totus & ex animo frater*

S. Sulcerus. D.

XXXVII.

*S. in Domino.*

Ignosces, Ornatissime Dn. Magister, festinationi meæ, tametsi jam sæpe eadem excusatione utar. Literas tuas proximas, ut sanè omnes abs te, magna accepi, legique voluptate. Nam & ad meas amicissimè scriptæ erant, & de tuis rebus me faciebant certiores, quod mihi erat gratissimum. Ac tametsi Hochbergensè iter impeditum fuisse tua causa doleo: tamen alterum illud visitationis Rôrelanæ, de quo D. Doctor mihi retulit, vobis gratulor. Magnum enim mea sententia est, non audire tantum tam præstantes Theologos, sed eorum quoque *inagropulas* in agro Domini posse perspicere: de quo genere si per otium quædam ad me perscripseris, magno me beneficio affectum putavero. Tigurinos vomitus vidimus, quos nisi eructassent illi, multi de veritate Testamenti Brentiani dubitassent: nunc re ipsa experiuntur, sub illa pia & modesta responsione mendacii & homicidii spiritum latere. DEUM oro, ut suæ Ecclesiæ misereatur, & ei gratias ago toto pectore, qui Basiliensium sit

Yy

tam